Viro Clarissimo

D. JACOBO CATZIO

S. D.

ANNA MARIA A SCHURMAN.

CUm nihil sanctius amabiliusque ipsa virtute jure censeatur, quis mihi, Vir Clarissime, probro det, quod ego te, qui vivam ejus inter nos refers imaginem, amem colamque? Et ut non essent tot incomparabiles ætherii tui ingenii dotes, nonne vel sola humanitas tua honestum hunc affectum largè promerita est? Certè. Huic enim debeo quod famæ splendorisque tui pæne oblitus me non modo tam comiter invisere, penitius nosse, ac de studiis, vel nugis potius meis sedulò percunctari: verũ etiam & claritatem aliquam ex iis mihi ultro polliceri dignatus sis. Quorum autem dissimulatio, aut contemptus cum non cadat in virginem nobilem, & Musis jam nuper initiatam, accipe has

has qualeſcunque literulas, ut hujus ſynceri mei erga te amoris, & perpetuæ obſervantiæ pignus; & ſic mihi æternum Vale, Virorum optime. Parentes te, uxorem, liberoſque tuos ſalutant peramanter, Idem & ego facio. cIↄ Iↄ c xxii.

Viro Clariſsimo

D. ADOLFO VORSTIO

S. P. D.

ANNA MARIA A SCHURMAN.

LItteræ tuæ cum munere, velut auctario quodam, conjunctæ mihi longè fuêre gratiſſimæ; præſertim cum ad pangendum inter nos Amicitiæ fœdus, has tanquam ἀῤῥαβῶνα ſponte obtuleris. Nihil revera exoptatius potuiſſet contingere, à tali Viro, qui inter maxima hujus ævi lumina caput exſeris, cæloque cognatum extollis ingenium. Quocirca ſine